



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

8 De Vanitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

deteriorem partem; vt si modestiam reputet hypocrifin, parsimoniam vocet auaritiam, liberalitatem appeller prodigalitatem. Deinde, si verba bona aut adiaphora in sensum peruersum trahat, vt si dicat se paratū ad tolerandum iniurias, ille suspicetur id fieri ex pusillanimitate, vel etiā ex superbia, vt videatur sanctus & humilis. Tertio, si iudicet, qua intentione talia dicantur vel fiant. vt si alium ex simplicitate quippiam dicentem, vel facientem, affirmet ad alios mortificandos id fecisse. Si malum exaggeret, si commemoret aliquid de alio, quod non conueniat eius statui, & nomini bono. Plus autem delinquitur, quando iudicium internum foris, vel verbis, vel nutibus proditur & diuulgatur. Idem dicendum est de suspicionibus temerariis, quando non exsertē aliquid affirmatur, sed cū dubitatione, & in vnā partem ita propendetur, vt tamen reformidetur, de cōtraria, vt quando coniecturæ, quibus nititur, non sunt admodum probabiles & manifestæ,

De Vanitate.

C A P. VIII.

H V I C capiti ideo hunc titulum præfixi, quod vana & inania sint, quæcunq; in

CO RIA

eo tractantur. Prima fit superbia, quæ non est aliud quam appetitus inordinatus honoris & dignitatis, qua aliis hominib. quis anteponatur. Et nota posse eam reperiri nō solum in rebus magnis & sublimibus, sed etiam in vilibus & abiectis. Vnde bene annotavit Caietanus etiā in cocis eam regnare, dum ob coquendi peritiam se iactant. Potest autem aliquis delinquere per superbiam quatuor modis. Primus est, quando quis se iactat ob rem, quam non habet, vt ob nobilitatem, ingenium, eruditionem, quam non habet. Secundus est, quando quis iactat quidem se de re quam habet, sed æquo insolentius, vt si vēditet nobilitatem suam velut antiquam, cum sit recens & noua: & si aliquam scientiā philosophiæ consecutus sit, putet neminem sibi in ea parem. Tertius est, quando quis doctrinam, vel aliud quippiam alieno labore partū suæ tribuit industriæ & inuentioni. Quartus, si fateatur quidē se ab alio consecutum, sed suo merito interueniente, q̄ tamen falsum sit.

SECUNDA fit Præsumptio, qua quis præsumit se negotium aliquod aggressurum vel perfecturum, quod tamen vires eius naturales, vel supernaturales, tam animi, quā corporis excedit, idq; ex superbia,

quo magnam nominis sui famam apud homines colligat vt si latine spondeat se p. roraturum, cum Grammaticæ ignarus sit, se de mysterio S. Trinitatis vel Eucharistiæ concionaturum, cum Theologiam non audierit. Similiter si vix initio factò bene orandi, vel commentandi de rebus diuinis velit conscendere montē Contemplationis, nullis antegressis passionum animi mortificationibus, variisue meditationum gradibus.

TERTIA est Ambitio, quæ est inordinata quædam cupiditas Magistratum, politici vel Ecclesiastici, aliorumq; honorificorum officiorum, vt quis frui possit honore illis deferri consueto, ac vt eorum beneficio possit aliis multis anteferri. Vnde & filia est superbiæ, sicut præsumptio. Et noris hanc ambitionem etiam inueniri in inferioribus officiis, vt opificum, qui suos habent magistros; vt sodalitarum, quæ habent suos Præfectos, Decuriones, Imperatores. Tunc autem peccatum hoc propriè committitur, quando ab indignis appetitur dignitas, vt Episcopatus ab indocto, vel qui non est Doctor. Vel si appetatur dignitas maior, ab eo qui tantum dignus est minore; præmium primi, qui dignus est tantum secundo,

secundo, vel tertio, quia eo ipso contra veritatem se ostendit doctiorem primo. Similiter si ab vno aliquo plures dignitates ambiantur, quando non desunt plures æquè digni. Item si dignus aspiret ad eas per vias illicitas, eo ipso enim prodit se vitiosum ac proinde indignum. cum honor non nisi virtuti debeat. Rursum si idem dignus, nimis anxie ad honores anhelet: superuacanea siquidè affectio illa declarat animum esse inordinatum. Secundo ambitione delinquitur, quando quis definito consilio & voluntate decreuisset non fungi officiis honori ad iuuandum proximum adiunctis, cum secundum S. Thomam Dominus Deus qui est omnium bonorum dator, nullum honorem impoat, nisi ad iuuandum alios. Quare ambitiosus esset & concionator, qui non tam fructum animarum suis concionibus quæreret, quam nominis celebratam ex magno populi concursu.

QUARTA est iactantia, quæ consistit in laudatione sui, suorum, suarumque rerum. verbi causa, donorum naturalium corporis, animi, vel externorum, vt generis, opum, formæ, & similibus. deinde & supernaturalium Potest autem delinqui, primo si quis plus æquo iactet se de donis & bonis, qui-

Ll s bus

Prov. 2.³

bus caret, aut certe non habet tam præstantia, quam existimat. Secundo, si gloriatur de malis verè vel falso commissis, de quibus Salomon scribit. *Letatur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Vbi adverte, non solum peccari, quando quis se extollit cum damno & contemptu proximi, uti fecit pharisæus, sic in templo orans.

Luce. 14.

Ago tibi gratias Domine, quod non sum sicut ceteri hominum, sicut etiam hic publicanus. Sed etiam quando tantum suam quærit in iactatione voluptatem: sicut multi sunt, qui sola gloriatione & pompa verborum efferuntur, aut summopere gaudent, si videant se placere auditoribus. Tertio, peccatur, quando quis etiam si vera profert, tamen ea profert, quæ circumstantium fidem superant, & si ob finem non bonum fiat, propriè dicitur ostentatio, qualis fuit Assueri regis in historia Hesther. Quod si nullus malus finis propositus sit, tamen modus ille agendi ingratus est hominibus feruentibus, & veræ perfectionis studiosis, ut bene observavit S. Paulus in altera

2. Cor. 12.

ad Corinthios epistola dicens. *Parco autem, ne quis existimet me supra id quod videt in me, aut audit ex me.* Promanat autem hoc vitium, primò ex voluptate quam

quam quis capit ex ostentatione, qua præ aliis se extollit. Secundo, ex lucro, vel opum, quoniam putat se eas ita & conseruare & augere posse, vel gloriæ & famæ apud homines. Tertio ex fastu, quo censet se esse hominem non vulgarem, & vnum ex illis, de quibus Iob ait *Conceptum sermonem tenere quis potest?* *Iob. 4.* Debet itaque quilibet explorare causam, eamque è medio tollere, quia valde repugnat humilitati, totius spiritualis ædificii fundamento & basi: deinde quia apud sapientes habetur ludibrio, & vulgari prouerbio dicitur *Laus propria foedit.* Quanquam fieri potest, vt necessitas nonnunquam cogat aliquem ob finem bonum, suas prædicare laudes, sicut fecit in epistola ante citata Apostolus. *Si gloria* *2. Cor. 10.* *ri, inquit, oportet, &c. Scio hominem raptum usque ad tertium cælum, & quoniam raptus est in paradysum, & audiuit arcana verba, &c.* Vbi tria sunt notanda. Primum, quod coacte ita gloriatus sit. Si gloriari, inquit, **O P O R T E T.** Secundo, quod verè, vnde addit. *Veritatem enim dicam.* tertio, quod summa moderatione vtatur, loquendo de se in tertia persona. *Scio hominem.*

VLTIMA est verecundia. Loquor hic de vitio-

vitiosa & culpabili, quæ est immoderata tristitia de malo commisso, propter reprehensiones, contemptum & infamiam inde secuturam: itaq; facile vides, eam oriri ex superbia. Quemadmodum enim hæc lætatur & exultat honoribus, & euectione ad maiora: sic illa cruciatur humiliatione, contemptu, & dedecore. Quare etiam cuique speciei superbiæ, sua propria respondet Verrecundia.

Ac prima quidem est, quando quis suo-
pte motu considerans, vilitatem suam, &
defectus pudore suffunditur. Consideratio
auté illa primo potest esse de defectib. cor-
poralibus, vt de vitiato membro, vel à pri-
mo ortu, vel fortuito casu: tum de spiritua-
libus, vt tarditate ingenii, memoria labili,
& similibus. Tertio, de inopia bonorum
fortunæ, vt quod sit natus pauperibus pa-
rentibus, humili loco, vt in villa vel pago
vili. Nam etsi dedecus & vilitas propriè nõ
sequatur nisi mala culpæ, & contra honor
sequatur tantum virtutem, tamen ordina-
riè ad omnia defectuum genera se porrigit,
vt paupertatem, seruitutē, & id genus alia:
sicut honor extendit se ad quamuis excel-
lentiam & dignitatem, vt nobilitatem, opes
magnas, eruditionem raram.

ALTERA

ALTERA opposita est Præsumptioni circa administrationes, & actiones dum homo pudore afficitur, quod in opera sua præstanda longè fuerit inferior sociis. Secundo, quod operam non locarit in iis rebus quæ maxime eius statui conueniebant, & maximè si vel ab æqualibus, vel etiam ab inferioribus sit superatus. Tertio, si viliora, abiectioraq; ipsi officia commissa sint, quæ æqualibus. siue spectetur ministeriorum qualitas in iis, siue ordo & dispositio. Quarto & ultimo, si ministerium, qualecumque illud fuerit, infeliciter perfecit, ut si concionantem memoria sefellerit, si errorem in colloquendo, cantando, &c. non vulgarem commiserit.

TERTIA opposita est Ambitioni, ut si quis pudore suffundatur, quod non euectus sit ad dignitatem, quam arbitrabatur sibi deberi, & si ea æqualibus suis delata sit. Secundo, quod obtinuerit quidem dignitatem, quæ aliorum etiam iudicio illi deberi visa sit, sed postea totius populi arbitrio ab iisdem importunè illi adempta sit.

QUARTA & postrema opponitur vanæ gloriæ. ut si quis erubescat, quod non laudetur, vel non tantus honor illi publicè deferatur, quantus meritò deberet. Secundo,
quod

quod in praesentia multorum contemnat, & exhibetur.

INDICIA manifesta vitiolæ verecundiae sunt. primo, quando quis post malum aliquod commissum, cauendi dedecoris causa, non reformidat praeruaricari legem diuinam, vt confingere mendacium, quod solet contingere imperfectis, aut ætate, vt pueris; aut virtute, vt sunt tyrones, & tepidi. Secundo, quando quis opus aliquod virtutis, vt auditionem Missæ in festis praetermitteret, ne notetur esse malè vestitus, aut exercitium deuotionis consuetum desereret, ne irrideatur, vel pro adulatore habeatur.

RESTAT nunc, vt exponam verecundiam, quæ timetur in actionibus obligatoriis, quæ proprio & speciali nomine dicitur *Erubescencia*, quod originem suam habet à rubore, qui in vultu verecundantis ob concursum sanguinis apparet, conatur enim natura illo quasi velo dolorem obtegere. Quisquis igitur opus virtutis lege præceptum omittit, reformidans, vel quod non recte præstabit, vel cum summo suo pudore, peccat in erubescencia. Vbi aduertendum quoq; est, quam magna tunc temporis sit verecundia vel erubescencia; nonnunquam

quam enim tanta est, ut hominem reddat attonitum, similemque iis qui de potestate mentis exierunt. Quamquam multos natura ad id impellit, ut timidos, & melancholicos.

Ex altera parte obseruare potes (quamuis id vsuuenire non solet in spiritualis vitæ cultoribus, sed potius in peccatoribus) an aliquando huiusmodi tuo statu indignos actus exercueris, & opera aliqua virtutis, quæ facere tenebaris, nullo inde oborto rubore, neglexeris. Quod in rebus leuibus etiam potest contingere tyronibus ad sanctiorem vitam recens conuersis. antiquis quoque nonnullis qui incuria sua in seruitio diuino oblanguerunt.

De Otiositate.

C A P. IX.

QVONIAM bonum quod homo facit non bene, habetur pro infecto, & otiosus is dicitur, qui nihil facit, nomine otiositatis comprehendam tam eos qui nihil boni operantur, quàm qui bonum quod agunt, operantur imperfectè. Ad primum mensura pertinet imprimis *Imprudencia*, quæ sicut prudentia per omnes virtutes, ita per omnia